



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118588

§. 116. Judices ad cognoscendam Senatorum captivorum caussam a Rege nominati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

Sæcul. XVI.
A. C. 1559.

§. CXVI.

*Judices ad cognoscendam Senatorum
captivorum causam a Rege
nominati.*

Equidem Rex hosce Legatos benigne admodum excepit, lectisque Principum suorum literis missurum se quosdam propediem ad eos respondit subjungens, sperare se, quod eorum votis abunde satisfiat. Dimissis ita legatis, cum hi vix ad Regni limites pervenisent, ignis, qui ipsorum adventu quasi restinctus putabatur, eorundem discessu violentius inflammari cœpit, nam mox decima nona Junii Judices a Rege deliguntur, qui de Senatorum carceri mancipatorum causa cognoscerent, iique fuerunt Joannes Santandreanus Præles, & Joannes Jacobus Memmius libellorum Supplicum Magister, Ludovicus Gigas, Robertus Boetius consiliiarii; Eustachius Bellajus (*) Episcopus Parisiensis, & Antonius Muchyus cognomento Demochares, fidei, ut vocant, Inquisitor. Itaque Burgus eodem die a Santandreano interrogatus respondere detrectat, id enim juris esse Senatoribus

O 5 inqui-

(*) Hic idem tertio genitus erat frater Cardinalis Bellaii, cui in Parisiensi Episcopatu successerat.

Sæcul. XVI.
A.C. 1559. inquiebat, quod iidem, nisi coram uni-
versa Curia, coactis in unum cunctis
classibus, in capitis iudicio causam
dicere permetterentur, ad id cogi
non possint: Tum vero novum di-
ploma Burdinus Pro-Cancellarius
a Rege impetrat, vi cuius Bur-
gus coram delegatis illis iudicibus re-
sponderet, atque nisi id faceret, pro
convicto haberetur, & perduellionis
pœnæ obnoxius teneretur. Ita Burgus
propter criminis atrocitatem, ut dictum
fuerat, Senatorio privilegio indignus
habebatur: verum ne Regis, cui se in
omnibus obedientem profitebatur, im-
perium detrectare videretur, morem
gessit, protestatione tamen prius facta,
ne fraudi sibi esset, aut inde privilegio
suo præiudicium inferretur.

§. CXVII.

*Burgus de hæresi convictus, atque ab
Episcopo Parisiensi damnatus.*

Thuan. l. c. Nihilominus Eustachius Bellajus Pa-
risiensis Episcopus, ut Burgum in
carcere detentum ad veritatis semitam
reduceret, eundem erroris convincere
unacum Doctoribus suis adlaborabat,
quinimo ut eidem magis adhuc expe-
dita suppeditaret media, quamdam ca-
tholicæ fidei expositionem ipsi tradebat,
quam